

**Dissertatio inauguralis medica, qua docetur quod medice vivere sit optime
vivere contra vulgarem canonem: medice vivere est misere vivere ... /
[Johann Nikolaus Löpfelmeyer].**

Contributors

Löpfelmeyer, Johann Nikolaus.
Alberti, Michael, 1682-1757.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Jo. Christiani Hendelii, [1743]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nvda3jz6>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



33928/B

C. II
18/l



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b3051132x>

LOEPFELMEYER

GRP

12/52

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
QUA DOCETUR
QUOD

MEDICE VIVERE
SIT
OPTIME VIVERE
CONTRA VULGAREM CANONEM:
MEDICE VIVERE EST MISERE VIVERE

Quam
AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratiæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
PRAESE S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES.
SORE PUBLICO ORDINARIO, *etc.*

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIEBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONVENTIS,

ANNO MDCCXLIII. D. MAJI

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICET

AUCTOR

JOH. NICOLAUS LÖPFELMEYER,
CASSELANUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.



THE HISTORY OF
THE MEDICAL SCIENCES
IN THE UNITED STATES
BY
CHARLES L. BROWN,
M.D., LL.D.,
PROFESSOR OF MEDICAL HISTORY
IN THE MEDICAL COLLEGE
OF PENNSYLVANIA,
AND
PRESIDENT OF THE
AMERICAN MEDICAL HISTORICAL SOCIETY.
PHILADELPHIA:
J. B. LIPPINCOTT & CO.
1880.



PROLOGUS.



On dubito, fore, ut de vitæ ratione, medice instituenda, tamquam optima differens plerisque aetatum agere videar: tantum tamen abest, ut labor meus vacuus censeatur, ut potius, late exstante normæ sanitatis abusu, salubritati hominum oppressæ, sejuncto isto leviori obstaculo, quod medice vivere pessime vivere dicatur, auxilia feram. Discrepant & Auctorum Medicorum & aliorum sententiæ quoad Diætæ ordinationem. Alii sub pœnæ formidine hominem innumera sanitatis præcepta sequi, instar legislatorum obstringunt, quæ vero non nisi anxius exsequi valet; ideo sollicitam & scrupulosam talem Diætam admodum improbat B. STAHLIUS in *Opusc. Phys. Med. Chym.* p. 267. alii Hygieines dogmata & regulas plane rejiciunt; pauciores medium regiamque viam tenentes diætæ regulas, numero exiguae, prouti veritati ac experi-

entia^e consentaneum, docent. Quare fit, ut, plurimū falsa edocti temereque res judicantes secundum Medicorum molesta desideria pessimum eligant vitæ genus; quemadmodum omnes salubritatis regulas spernentes in diem vivere more perverso ac improbo haud erubescunt. Qua ex caussa lepidum illud proverbium ortum cepit, quod misere, qui medicæ, vivat. Quod cum non minus scientiæ medice ignominiam adferre, quam quæ instar mali endemii invaluit diæta scrupulosa in multorum non vexationem modo, sed etiam perniciem cedere observetur: minime inutile duxi, cum mihi dissertatio inauguralis medica conscribenda esset, summo annuente Numine meum quoque ad hæc scandala removenda adferre studium, & medice vivendi rationem ita exponere, ut elucescat, quod tam nimis scrupulose, quam nimis laxe atque dissolute vivere vita sit omnium ærumnosissima, contra ea saniori sensu vivere medico more optimum. En ordinem tractationis, benev. L. Capite primo generalia quædam de sanitate & regulis diæteticis præmittam; altero res 6 non naturales per species brevibus trætabo; tertio in summam omnia redigam; epilogo tandem quibusdam objectionibus obicem ponere annitar. Absit præterea, ut campum diæticum ampliorem, quam ut tam arcto dissertationis spatio emetiri possit, negarem, ut brevitati potius studens primas quasi lineas ducendo, hac quidem disputatione non adeo necessaria prætermittam, ulteriorem & uberiorem tamen eorum explanationem Deo volente

lente, aliis laboribus relinquam. Faxit Deus T.O.M.
ut hocce conamen præsens cedat in honorem no-
minis sui altissimi, multorumque hominum salutem
atque incolumitatem & producat & augeat.

CAPVT I.

DE SANITATE ET REGVLIS
DIÆTETICIS.

§. I.

AD rerum verborumque disceptationem tollendam primo loco monendum judico, me in præsenti tractatione non agere de ægrotantium, sed de sanorum diaeta, sub Hygieines titulo cognita; quare medice vivere ex nostro sensu est secundum regulas genuinæ Hygieines vitam gerere, ideoque optime vivere, ea ratione spirare, ut sanitas, quantum licet, conservetur, & morbi præcaveantur.

§. II.

Sanitas ex definitione Dom. PRAESIDIS *in Introduct. in univ. med. & in Hygieine p. 241.* est ille status hominis, quo sub integra animi alacritate & virium sufficienti præsentia motus vitales per corpus integrum & illæsum ita efficaciter & convenienter transeunt, ut quælibet functiones legitime decurrant. Cum vero non in omnibus, qui dicuntur sani una eademque animi alacritas, virium præsentia, motuum vitalium efficacia & convenientia, idemve functionum decursus deprehendatur, sed hæc omnia mirum quantum secundum differentiam re-

rum naturalium, h.e. ætatis, sexus, temperamenti, nec non consuetudinis & sensibilitatis indolem differant: facile colligitur, aliam esse *κατ' εξοχην* sanitatem optimam quæ forte rarius reperitur; alteram relativam s. secundum rerum naturalium constitutionem.

§. III.

Res 6 non naturales dicuntur aër, cibus & potus, somnus & vigiliæ, motus corporis voluntarius & quies, excreta & retenta, animi pathemata; quæ uti ad vitam generatim necessariæ sunt, sic earum conveniens atque legitimus usus ad sanitatis in specie conservationem absolute requiritur, si vita & sanitas constans & intacta manere debeat; etenim in harum rerum diverso, congruo videlicet & incongruo usu vita & mors, sanitas & morbus inveniuntur. Hinc ortæ sunt regulæ sic dictæ diæticæ, non sanitati solum in genere, sed etiam in specie, secundum rerum naturalium aliarumque circumstantiarum indolem inservientes, de quibus videantur scriptores diæticæ veteres æque ac recentiores, inter quos præcipue laudandus venit Dom. Præses l. c. in Hygieine & multis dissertationib. nec non B. HOFFMANNUS in Med. System. T. II.

§. IV.

Quanta interim sit difficultas ejusmodi specialissimam diætam conscribendi, idem HOFFMANNUS l. c. p. 317. §. 5. sequentibus testatur verbis. *Scientia rerum homini salubrium & insalubrium non tam intellectu facilis est, ut vulgo putatur. Nullæ enim dantur res absolute & in se salutares vel noxiæ, sed certis relationibus & conditionibus corporum vires nituntur. Quicumque ergo Medicus præcepta cuivis salutaria prescribere vult, is non modo naturam corporis in*

*in individuo perfecte nosse, sed relationes etiam ac respe-
ctus, quibus variant salubrium vias accurate tenere de-
bet.* Sic etiam celebris ille Batavorum quondam Me-
dicus *Herm. BOERHAVE*, in *instit. med. p. 209.* *Difficile est*
generales leges ita promulgare, ut observatio earum omni
homini æqualiter prospicit. *Cujus quidem difficultatis causa*
sæpe in idiosyncrasia hæret; ideoque in eandem vivendi
rationem oppositis sæpe effectibus operatur. Adeo ut va-
rio non tantum, sed & contrario usu sex rerum non na-
turalium utentibus rāmen sua cuique & integra sanitas
servetur; si vero suam inter se commutaverint iidem vi-
vendi normam mox utrique ægrotent.

§. V.

Ex hac quam viri eximii adfirmant eaque magna
difficultate, si ignoratur, multa adhuc alia proxime e-
nascuntur incommoda. Cum enim quisquam semper
a priore, quæ sibi sint salutaria, scire haud possit (1) ex
medico quivis illa in specialissimis quoque circumstanti-
is sollicite quærenda esse putabit, quippe qui naturam
cujuscunque individui cognoscere, & quæ ipsi conve-
niant apprime nosse debeat. Quare (2) Medicus innu-
meris quæstionum variationibus an, quantum, quando,
qua cautione hoc vel illud vitæ & sanitati conducat, ut
se exerceri atque valde divexari patiatur, cogitur. At
cum nullus facile medicorum naturam corporis indivi-
dui perfecte noscat, & relationes, quibus variant omnes
salubrium vires accurate teneat, ne dicam de Idiosyn-
crasia, quæ omnino pervestigari nequit, evitare vel ex-
perientissimus alias medicus vix poterit, quin (3) in
quæstionibus adeo specialissimis sæpius impingat, atque

dolens do... quod... quod... quod... quod... super confi-

consilium det, quod minus prævisum imo contrarium exserat effectum. Exoritur inde (4) mœsta, hominum in medicum suspicio, eum rerum ad sanitatem vitæ facientium non satis gnarum esse, eaque propter (5) aliud eligendum, arcessendum & consulendum esse arbitrantur. Qui vero, cum illa, quæ a medico antecessore commendata fuerant, rejicere plerumque, & atro noctare soleat carbone, alia commendando & præscribendo, ut quæsito quæritantium satisfaciat tantum abest, ut potius non solum non, quin eandem experiatur sortem, effugere possit, sed etiam in causa sit, ut (6) illi etiam, qui antea studiose id egerunt, ut medice viverent, jam omnes regulas diæteticas spenentes in alterum extremum dilabantur, & iis se adjungant, qui summo jure, quod medice vivere sit misere vivere, se exclamare putant. Hac ratione (7) non in solos tantum medicos, sed in ipsam quoque scientiam medico-diæticam redundat ignominia & (8) tota denique medicina plerisque redditur suspecta, quoniam non sine ratione sufficienti se ita concludere arbitrantur: Si medicus ea, quæ ad sanitatem conservandam faciunt, nescit, etiam illa, quæ ad eandem restituendam revera valent, non poterit non ignorare.

§. VI.

Quæ certe cogitationes impulere mentem meam, ut specialissimæ diætæ pertractioni me hac saltem vice commendandæ vix manus admovere ausus fuerim; arbitratus, melius esse, meam in hac parte cognitionem adhuc imperfectam profiteri, quam multa gloriari, quæ forte alii, prout ego, neque distincta & explorata habent, neque alios edocere valent. Quam ob rem sufficerem

cere potius generalem diætæ tractationem judicavi, in specialissimis ejusmodi rebus propriam experientiam a Sircide commendatam c. XXXVII. v. 30. Prufe, was deinem Leibe gesund ist, und siehe was ihm ungesund ist, das gib ihm nicht, plus quam sagacissimi quidem medici consilia valere existimans: licet etiam illa, si sincerus adest medicus, minime sint contemnenda. Generalem vero Hygieines tractationem eo majorem afferre utilitatem judico, quo plures sint, quorum sanitati hac ratione prospicitur. Neque etiam video, quare non omnibus idem rerum non naturalium usus generalior conduceret, cum omnibus generatim sit eadem corporis mixtio, eademque vita; modo requiritur, ut optimus illis utendi modus rationi & experientiae innixus eruatur. Quod quidem ipsum est, quod præsenti tractatione rimari atque perscrutari adnisus fuerim, ut sc. diætetica darem consilia omnibus profutura; quæ tantum absint, ut damnum alicui inferant, ut potius morbos etiam in rebus naturalibus fundatos, ut morbos ætatum, ex motu humorum congestorio in prioribus vitæ annis versus caput, postea versus pectus, & in provectioni demum ætate versus abdomen & artus contingentes, præcaveant, & temperamentorum intemperiem, h.e. sanguinei nimiam plethoram, melancholici spissitudinem sanguinis, phlegmatici mucosam & cacochymicam impuritatem, & cholericí nimiam activitatem, quantum quidem fieri potest, emendent, & morbos inde originem ducentes præoccupent, atque feliciter avertant.

CAPVT II.

DE REBUS SEX NON NATURALIBUS.

§. I.

AER primum rerum VI non naturalium momentum, quantitate, qualitate, motu, loco & tempore variat, indeque varias etiam in corpore nostro potest producere mutationes. Aēr temperatus purus & serenus quantum ad corporis sanitatem & animi recreationem valeat, vernali potissimum tempore non sine voluptate sæpius experimur, prouti contrarium effectum intemperati & impuri aēris non minus sæpius sentire & accusare solemus: unde multi homines ad aēris qualitates mores suos accommodare sciunt.

§. II.

Sed quomodo e. g. aēr frigidus, præsertim humido-frigidus transpirationem impediendo humores ad interiora repellendo & incrassando, calidus contra perspirationem eandem nimis adaugendo atque humores in orgasmum deducendo; neque minus aēr impurus variis exhalationibus noxiis refertus nocere, & quid inde danni in corpus nostrum redundare soleat, prolixius hic pertractare instituti ratio non permittit. Fusius de hac re agentem vid. *B. Hoffm. in diff. de aeris intemperie mulzorum malorum causa. conf. Disp. D. D. Præsidis de Longævitatem ex aeris usu. Ej. Hygiene Cap. III.*

§. III.

§. III.

Progredior potius ad ea, quæ ab auctoribus traduntur consilia. De intemperie aeris corrigenda brevissimis agit B. BOERHAVIUS in *instit. med.* §. 808. *Qualitates aëris calidi, frigidi, humidi, siccii, facilissime emendari queunt per opposita inducta: frigidus enim & humidus igne accenso, aromatum balitu, & vento admisso, vel arte excitato, qui calidus sit, facile in calidum mutatur & secum: calidus vero sparsu frigidæ exhalatione aquæ per plantas frigidas, vento artificiali corrigitur.* De impuritate aeris utpote magis nocente, minus vero compescenda auctores suadent, ut habitacula ad insalubria loca præsertim paludosa, quæ aërem putridis fœtentibus aliisque vaporibus nocivis inquinare possunt, mutantur, atque magis salubria, bono cœli adspectu gaudentia, ventisque orientalibus pervia elegantur. Atque omnino convenit, optimum aërem, ubi conceditur, eligere, & moderamen inculpatæ tutelæ, modo non nimis scrupulose, quantum licet, applicare: quare & illi sanitati suæ bene consulunt, qui ex cellis subterraneis humido-frigidis in altiora ædium loca domicilium suum transferunt, quique tempore autumnali maturius vestes hibernas induunt, & tardius vernali tempore easdem deponunt, &c.

§. IV.

Interim inficiandum non est, quod (1) correctio aëris intemperati non facile ita peragi possit, ut sit continua, (ne dicam de minoris conditionis hominibus, quibus ob sumtus plane non licet) (2) quod pauca dentur loca, quorum aër non aliquo modo effluviis insalubribus

imprægnatus deprehendatur, & quod (3) nihil magis sanitati officiat, quam si homini præter consuetudinem aliquid accidit, licet levissima nonnunquam sit mutatio. Illos enim, quibus vel maxima est cura, ut aërem intemperatum & impurum corrigant & arceant, quando urgente necessitate intemperato & impuro aëri se expondere coguntur, præ aliis morbi tempestatum (die Witterungs-Krankheiten) coryza, gravedo, tusses, raucedo, rheumatismi, affectus oculorum, glandularum colli, spasmī &c. invadere solent, plebem contra in aere maxime intemperato, impuro, nebulis & ventis vexato vitam agentem satis bona & intacta gaudere valetudine etiam per vulgus notum est.

§. V.

Videmus ergo, correctioni & evitationi tantum efficaciæ non inesse, quantum quidem saepe in solius consuetudinis vi positum reperimus: quare illos optime facturos esse arbitror, qui quidem summis atque extremis aëris injuriis, quæ majorem magisque præsentaneam nocendi vim possident, e. gr. nimiaæ refrigerationi se non immittunt, subitaneum ex loco frigidissimo in calidissimum & vice versa, transitum &c. evitant, neque tamen ex altera parte quibusvis aeris mutationibus se subtrahunt; sed potius mature & paulatim aëri mediocriter intemperato adsuescunt. Hac enim ratione robustiores facti optimè a morbis ex aeris vicissitudinibus oriundis defendantur; dum contra ea illi, qui nimis scrupulose circa aeris usum vivunt, indies sensibiliores evadunt, ut, quod laboriosis & adsuetis tolerabile & acceptum audit frigus, tonum augendo & vires custodiendo, illis nullo-

modo perferendum nominetur. Hi iidem delicatuli ita demum inflabiles seu infirmi erga aëris accessum existunt, ut vel lenis venti mutatio totum adeo anxie structum & defensum valetudinis ædificium subvertere atque destruere minetur. Tantum de aëre.

§. VI.

CIBUS ET POTUS uti congruo usu in vitæ & sanitatis conservationem cedit: sic abusum tam ratione qualitatis, quam præcipue quantitatis ad sanitatis destructionem & corporis humani perniciem plurimum facere, inter omnes constat.

§. VII.

Qui principium de qualitate alimentorum judicandi in sanguinis temperie & puritate ponunt, quicquid eandem conservare potest, bonum, quicquid illam destruit malum judicantes, præcipue in sanguinis mixtionem inquirunt. Quum vero non hanc solum, sed & totam ex sanguine ortum ducentem machinam humanam ex particulis terreo-salinis, aquosis & pinguibus debita proportione inter se unitis, constare deprehendant: alimenta eidem mixtioni & temperiei quo propius accedunt, eo meliora censem, cibum vero duriorem, acridorem, pinguiorem, nec non saccharata, mellita, acida, amara, falsa, potumque spirituosum noxia pronunciant; quippe quæ vel resolutionem & combinationem cum humoribus corporis nostri plane respuant, aut si resolvantur qualitate sua prædominante exactam sanguinis & humorum temperaturam turbent, destruant, adeoque ad morbos disponant.

§. VIII.

Cum vero pauciora dentur alimenta, quæ perfecte salubria censeri possent, hominesque paucis contenti esse nolint; cibos nonnullos per adjecta condimenta aliaque artificia culinaria corrigenda docent, ut intemperatae alimentorum qualitates per opposita condimenta ad optatam reducantur temperiem. Sic e. gr. in B. PISANELLI *libro de esculentorum & potulentorum facultibus* correctio semper adjuncta est & B. HOFFM. *Med. Syst. T. 2. §. 6.* scribit: *ad salubritatem alimentorum, & ne corpus offendant, multum faciunt condimenta, quæ cum cibis adsumuntur.* E contrario alii ejusmodi correctiones superficiarias, si non plane noxias declarant, uti e. gr. BOERHAV. *instit. med. §. 815.* *Condimenta inquit, ex acidis, sale, aromatibusve petita, sanis nocent, acrimonia noxia vasis tenuissimis, & appetitu falso excitato.* Sic non minus de potulentorum præcipue spirituorum usu maxime dissentientes invenio auctores, quos aliqui ut virtæ pabulum celebrant, alii ut infensissimos sanitatis hostes aduscant.

§. IX.

Eiusmodi disceptationibus minime nos immittamus; præter enim vexationes varias, quas medici inde reportant, rei ipsius difficultatem maximam judico, quoniam de iis universales minime dari possunt regulæ, sed per individua, si hæc præstare velimus, eundem esset. Quod vero ut difficultatem minuat, tantum abest, ut potius eandem adaugeat. Quis enim (1) sustinebit unicuique secundum idiosyncrasiam suam præscribere, quænam præcise esculenta & potulenta ipsi conducant, & quæ

quæ contra noceant (2) quis ita cibos & potus corrige-
 re poterit, ut plane nullas habeant particulas nocentes?
 (3) Et si quis omnino putaret, se hoc præstiturum esse,
 quid inde salutis in illos redundaret, qui adeo scrupulo-
 sām diætam exposcunt? cum plerumque sint homines
 honoratores in vita sedentaria & otiosa constituti, qui
 ab impuritatibus retentis humores habent cacochymicos,
 particulis salinis, acribus & sulphureis imprægnatos, un-
 de mala oritur digestio, ut si vel nullæ per stomachum
 intrarent particulæ nocentes, tamen ea etiam, quæ ad
 sanguinis similitudinem quam proxime accedunt, adeo-
 que optima alimenta adpellari possent. vid. §. 7. e. gr.
 ova & lac animalium &c. ita immutentur atque corrum-
 pantur, ut nauseam, ructus acidos & nidorosos, fæto-
 rem oris, cardialgiam, flatulentiam &c. excitent; quod
 eo magis perficiunt, quo majori studio lepidæ sic dictæ
 aquæ vitæ stomachales & carminativæ superingeruntur.
 Hinc etiam, de saluberrimo alias potu Thee conquerun-
 tur hi delicatuli, quod ipsis officiat, das Wasser schwâ-
 che ihnen den Magen, de quo tamen alii profitentur: das
 Wasser zehre und mache ihnen Appetit. (4). Quid de-
 nique regulas illis specialissimas præscribere juvat, qui
 labore & motu corporis quascunque excretiones pro-
 movent, ita ut omnes impuritates, tam per alimenta
 adventitiæ, quam ex optimo sanguine quotidie progna-
 tæ, per debita secretoria loca quotidie excernantur;
 cum sani sint atque incolumes, licet vel saepius carne sa-
 lita & fumo indurata, caseo & pane, brassica aceto con-
 dita & lardo, pisces & halece, aliisque insalubribus ad-
 numerari solita enutriantur.

§. X.

Patet exinde, quod non facile ullus cibus potus
ve usitatus prædicari queat absolute noxious, quodque
sensu etiam medico verum sit, quod i. Tim. IV. 4. 5. le-
gimus: *omnia alimenta bona sunt, quæ verbo divino &
precatione sanctificantur*, dummodo secundum altissimi
mandatum Gen. III. v. 13. in sudore vultus h. e. cum suf-
ficienti & quotidiano corporis motu & labore vescantur.
Hoc enim optimum condimentum digerens & stoma-
chicum est, illorum etiam adsumtorum concoctionem
optime promovens, de quorum salubritate multum ad-
huc disputatur: cum e contra secundum Hippocratem I.
*de victus ratione, qui comedit, nisi etiam laboribus utatur,
sanus esse non possit.* Optime ergo D. Paulus 2. Thess.
III. 10. *qui non laborat, non debet edere,* judicavit.

§. XI.

Hic vero de salubritate omnium fere alimentorum
in usu receptorum prolati sensus minime vult, ut quæ-
vis pro lubitu ingerere & ingurgitare debeamus, cum
omnino aliqua dentur alimenta, quæ præ ceteris non
concedunt, ut majori copia ingerantur, quid? quod
specialis quoque quorundam idiosyncrasia & consuetu-
do exceptiones ponat. De his vero specialiora dici ne-
queunt, sed cuiuscunque potius experientiae relinquun-
tur. Valetudinarii & ægroti hic nil habent, quod ad se
adficare possint, quum omnino selectu ratione qualita-
tis opus habeant, quem autem hic recensere hujus loci
non est, quippe ad ægrotorum pertineat diætam.

§. XII.

De quantitate alimentorum cuiuscunque propor-
tionata multa iterum proferri possent, e. g. famem
&

& sitim optimos fore quantitatis (imo & qualita-
tis) dimensores, nisi haec variis modis vitentur; Tan-
tum esse adsumendum, quantum se & excretionibus ab-
sumatur sensu metaphorico, die Einnahme müsse nicht
größer seyn als die Ausgabe, hinc in laboriosis majorem
cibi potusque copiam requiri, in otiosis minorem &c.
sed cum ejusmodi considerationes parum practici emo-
lumenti adferre possint, nisi forte quis Sanctoriana uti
vellet statera, ut hujus ope debitam alimentorum quan-
titatem, justamque perspirationis insensibilis & reliquo-
rum excretorum mensuram ponderando investigare, at-
que hac ratione a morbis se præcavere possit. Ast non
dubito, fore plerosque, qui hoc vivendi genus ut onus
intolerabile, imo inutile sint consideraturi. Optima igi-
tur in secula & firma generalis illa ad temperantiam &
sobrietatem admonitio summi Medici stabit *Luc. XXI.*
34. Cavete, ne corda vestra graventur commessionibus
aut potationibus. Quicunque enim hoc præceptum cum
illo de pane in sudore vultus vescendo combinaverit,
optimam habebit diætam, ne dicam evangelicam, a tot
mosaicis quasi legibus diætæ scrupulosæ, innumera de
quantitate & qualitate alimentorum urgentis, cultores
vero suos minime sanos reddentis, præcepta, immunem.

§. XIII.

Unicum hoc magis morale, quam physico-medi-
eum consilium addendum putavi, quod sc. cum dulcia
pinguia, aromatisata, condita, gulam demulcendo &
appetitum nimis excitando ad intemperantiam facile per-
ducant, illi tam respectu bonorum quam præcipue sa-
nitatis suæ bene sint acturi, qui ejusmodi delicias vitan-

C do,

do, simplicissimum magis ex vegetabili, quam animali regno desumptum cibum potumque dilutissimum eligunt, & illud SENECÆ præceptum non despiciunt: quod *cibus ante multos dies non debeat esse paratus* (quod de alimentis, qui corruptionem subire possunt præcipue intelligendum) *nec multorum manibus ministratus, sed parabilis*; *nihil habens accersiti pretiosive, ubilibet non defuturus, nec patrimonio gravis, nec corpori.* Hac enim ratione stomachus, quem Dn. DR. CARL in *medizinischen Rathschlägen p. 202.* das Seele-Leib-Zeit-Kräfte-Beutel-zerfressende Küchen-Thier vocat, optime & oppugnatur & roboratur.

§. XIV.

SOMNUS & VIGILIÆ debite alternare debent. Moderatus enim & placidus somnus partes solidas relaxando & humectando efficit, ut corpus non in amplitudine tantum, verum etiam in longitudine extendatur, transpiratio duplo major quam in vigiliis apprehendatur, & nutritionis successus, viriumque restitutio egregie promoveatur. Nimius contra ea sopor, præsertim accedente copioso victu, & vita otiosa, humores spissos, fibrasque laxas reddendo variorum morborum causa existit; ut nimiæ vigiliæ corporis & animi vires exhauriunt, ut v. g. litterati studia in seram noctem protrahentes adeo debilitentur, ut memoriæ & ingenii alacritatem amittant, sensimque vertiginosi & hypochondriaci evadant, neque sui ipsius neque reipublicæ salutem promovere valeant.

§. XV.

§. XV.

Cum itaque inter somnum etiam & vigilias debita sit adhibenda proportio & alternatio, auctores diætætici varia dedere præcepta atque consilia, non modo ratione temporis, verum etiam ratione situs monentia. Sic enim schola Salernitana: *Ut sis nocte levis, sit tibi cœna brevis. It sex horas dormisse sat est juvenique senique, cecinit, & EOBANUS HESSUS: Dormiture latus dextrum preme mane sinistrum: ingestum ratio concoquit ista cibum.*

§. XVI.

Licet vero hæ regulæ in nonnullis suam habere possint utilitatem interim tamen non nimis rigorose explicandæ, nec omnibus necessariæ & congruæ sunt. *Laboriosus* enim secundum Ecclesiasten c. 5. v. n. *Somnus dulcis est, sive multum sive parum ederint,* & in omni situ modo 4. modo 8-10. horas placide dormiunt, neque unquam inde sanitatis noxam percipiunt. Nec etiam semper secundum recentiores auctorum leges evigilatio & agilitas corpori restituta optimi somni mensura est; quia multi desides tantum non semper dormire vellent, & in sanguineo-phlegmaticis mane major lassitudo & torpor quam vesperi observetur. Quare etiam simul laborum corporis & animi ratio habenda est; quo major enim vel corporis vel animi labor, eo longior debet esse somnus, quo vero minor eo brevior.

§. XVII.

Hinc etiam de somno meridiano alia dari regula nequit. *Laboriosus* enim, uti nocturnus ita etiam pomeridianus somnus gratus acceptusque esse solet, in otiosis contra nocet; licet consuetudo in nonnullis contrarium

evincere videatur, his nempe placidus corporis motus magis conducit.

§. XVIII.

MOTUS CORPORIS VOLUNTARIUS & QUIES debite interposita, summa sanitatis præsidia dici merentur, uti contra ea incongruum illorum usum morborum plurimorum causam vocare licet. Nam motus nimius magno nisu & impetu institutus, pertinaci industria continuatus, & post subito interpositam quietem iterum cum vehementia suscepimus motum humorum circulatorium & intestinum nimis augendo, hæmorrhagias, congestiones, febres præsertim inflammatorias, virium prostrationem aliaque fluidarum & solidarum partium vitia facile inducit. Quin *a nimio corporis exercitio fibras duriores reddi, & senectutem, quæ sit universalis fibrarum durities accelerari* Sanctarius in Medicin. static. adfirmet. Quies ex altera parte nimia, seu vita otiosa efficit, ut humores justo tardius per vasa moveantur, ideoque spissiores reddantur, & impuritates quæcunque non satis se- et excernendo ex corpore proscribantur: hinc vero plethora cum spissitudine & cacochymia conjuncta, toni relaxatio in his & spasmi in aliis locis, stagnationes, stases, malum hypochondriacum & hystericum & plurimi, ne dicam omnes morbi hominum litteratorum & honoratorum oriantur,

§. XIX.

Quam noxius itaque abusus, tam necessarius & utilis est debitus motus quietisque usus. De quietis quidem necessitate & usu ad vires reficiendas &c. multa dicere opus non est, cum ad quietem plerique magis incli-

clinent, atque notissimum sit tritum illud: *quod caret alterna requie durabile non est.* At de motus utilitate ac necessitate pluribus agere æquum est, cum non minus necessarius existimandus sit, quam quidem panis ipse quotidianus, quanquam sœpissime negligatur, & quod fœcunda morborum causa intermissus fiat, rarius attendatur. Tantum enim abest, ut homines vitæ genus sedentarium & motu corporis vacuum pro causa infirmitatis suæ reputent, ut potius dicant: Nun muß ich ausessen, was ich in der Jugend durch starke Motiones und Arbeiten eingebrockt, cum tamen rem penitus consideraturi facile cognoscere possent, se, quamdiu in vita mobilis & laboriosa constituti fuerint, optima usos esse valitudine; simulac vero hanc in otiosam commutaverint, ita morbis subjecisse, ut ex uno semper in aliud delapsi conspici possent.

§. XX.

Motus ergo corporis voluntarii effectus utilitates & commoda sunt varia; namque per motum voluntarium fibræ muscularum iam constringuntur, iam relaxantur; hoc ipso sanguis fortius per vasa transprimitur, ejusque motus progressivus & intestinus augetur; unde sub motus augmento major oritur incalescentia; per motum vero & calorem auctum sanguis magis attenuatur, fluxilisque & mobilis redditur; hinc facilius atque celerius viscera & minima vasa transit, profundiusque organis secretoriis adpellitur, inde impuritatum quarumcunque abstersio & omnium se- et excretionum successus egestie promovetur, omneque superfluum & noxiū, præsertim vero nocentissimum illud halituosum salino-sulphureum

reum principium, hostis sanitatis infensissimus & periculisissimus, per transpirationem auctam atque sudorem ex corpore eliminatur, quin partes etiam solidæ majus inde robur adquirunt, (quod vulgus exprimit: Arbeit hârtet) simulque remotis particulis obstruentibus in justa permeabilitate conservantur. Hac itaque ratione motus corporis non ad sanitatem solum conservandam, sed ad morborum etiam curationem facilitandam quam maxime inservit. Noscimus enim efficacius plethoram nihil consumere, nec spissitudinem sanguinis magis corrigerere quidquam, atque cacochymicæ impuritatis ex corpore eliminationem proprius adjuvare motu corporis sufficiente. His vero ceu causis plerorumque morborum remotis, effectus etiam seu morbi ipsi tolluntur, secundum illud: sublata causa tollitur effectus. Unde si quid aliud, motus certe corporis Panaceæ & medicinæ fere universalis nomen meretur, & Syracidis dogma diæteticum c. XXXI. v. 22. prolatum optime se probat: *Sume tibi aliquid laborandum & nullus morbus te adfliget.*

§. XXI.

Hanc utilitatem motus ex una, segnitem vero hominum ex altera parte perspiciens Baglivius monachos a luxu & otio valetudinarios factos consilio suo astuto de nitrosis particulis inter arandum naribus excipiendis ad motum corporis animo lubenti subeundum perduxit, adeoque brevi sanos reddidit. Existunt alii usum fontium mineralium in loco scaturiginis adhibendum eo majori jure urgentes, quia hac ratione accedente motu corporis, & peregrinationis beneficio illud saepius efficitur, quod iidem fontes domi hausti ob horum aliorum-

aliorumque adminiculorum defectum exhibere nequeunt. *conf. Dn. PRÆSIDIS disp. de Peregrinatione Medica.* Sydenhamius equitatione usus est ad phticos restituendos, quod remedium b. STAHLIUS in peculiari Programmate hypochondriacis aliisque ad imminentem viscerum læsionem præcavendam pari modo maximopere commendavit. Interim ut præservandi scopo semper extra domum motum instituamus non requiritur; sed qui de ejusdem necessitate sunt convicti, domi etiam sufficientem motum sibi conciliare possunt, vel lignum serra secando, vel findendo, dolabram trahendo, aliaque œconomica peragendo. Quibus vero ejusmodi negotia duriora forsitan videntur pilæ parvæ lusum instituere possunt, quem Galenus singulari libello jam olim commendavit, quia animum hilaritate & corpus vario motu adficiat.

§. XXII.

Ratione temporis & modi motus instituendi, observandum (1) quod, licet in multis labori adsuetis motum omni tempore convenire videamus, levius tamen exercitium post adsumta alimenta, fortius vero post digestionem ciborum peractam melius instituatur, secundum Hippocratem: *Cibos labores præcedere oportet.* (2) Quod motus initio lenior esse debeat, successive autem augendus, & ad horam unam aut alteram pro gradu exercitii, aut virium præsentia ad gratam defatigationem continuandus sit: sub finem sensim iterum deficiat, & refrigeratio subitanea caveatur, sic denique humoribus ad quietem iterum deductis appetitus renovatus de motus utilitate testabitur. At quibus spissior est san-

sanguis initium laboris lenissimum e. gr. ambulatorium motum commendamus, (*vid. Dn. Præsidis disp. de Medicina Peripatetica*) quoniam si commotioni corporis minus adsueta motum fortiorum sub primordio statim suscipiunt, varias inde molestias persentiscere solent, quum sanguis adhuc spissior tam cito vasa transire nequeat. Cave tamen credas, ob eas quas facile adculsan molestias, in primis artuum lassitudinem ejusmodi subiecta a motu corporis esse dispensanda, ut eum potius exiges. Uti enim quies labore defessis, sic ab otio & plethora spissa delassatis labor optima est panacea.

§. XXIII.

EXCRETA seu EXCERNENDA vocantur alvus, urina, transpiratio, menstrua, hæmorrhoides &c. RETENTA autem vel RETINENDA sunt humores laudabiles corporis nostri, (quæ potius in Physiologia per tractanda veniunt). Nonnulla eorum vario respectu tam ad excernenda quam retinenda referri possent, ut bilis, sanguis, semen &c. Excernenda si debita quantitate, qualitate, tempore & loco non prodeunt; aut retinenda nimis excernuntur, morborum causæ fiunt præsentissimæ; quare quemvis id agere oportet, ut excernenda debite emoveantur, retinenda vero apte corpori conserventur. Optime hoc impetratur justo reliquarum rerum non naturalium usu, præcipue ratione potus & motus sufficientis, rite instituendo. Quem vero cum suo loco jam tradiderim, hic repetendum minime judico, sed de principalioribus excretionibus specialiora quædam subjungere mens est.

§. XXIV.

§. XXIV. Ad alvi debitum successum multum efficit ordo in deponenda illa observatus. Sic multos ab obstinata alvi siccitate liberatos scimus, postquam certam diei horam, alvo licet non stimulante, e. gr. matutinam huic excretioni destinaverint, quo facto ad quotidianam depositionem alvi naturam quasi adsueverunt. Sed si pertinacior alvi adstrictio adsit, medicamenta lenientia, haud purgantia draistica, in usum vocanda sunt, quippe quae alvum post evacuationem, sicciorum relinquent. Et sic reliquæ etiam alvi & urinæ excretiones turbatæ prudentis medici ope indigent.

§. XXV.

Transpirationis ac sudoris debita excretio eo magis promovenda est, quo vehementius utriusque suppressio etiam exquisite sanos adfligere observatur. Utilitatem quidem sudoris suspectam reddit *Sanctorii* effatum in *med. statica*, *Sect. I. aphor. 23.* *Perspiratio juncta cum sudore mala*; *quia sudor fibrarum vires diminuit: dicitur aliquando bona*, *quia a majori moto divertit.* Ast limitandum hic esse existimo, & de illo saltem sudore intelligendum, qui in loco calidiori, vel lecto per infusa calida, copiosius ingesta, elicetur; hic enim, si diutius protrahitur, omnino vituperandus est, quia fibras relaxando vires non solum debilitat, sed etiam habitum sundandi inducit & efficit, ut multæ impuritates per hocce organon excretionem petant, quæ tamen hic non secernendæ fuissent, unde variæ efflorescentiæ cutaneæ speciatim vero purpura rubra chronica oriri solent: bonus vero est dicendus, quando scilicet ægrotis ejusmodi regimen præcipitur, ut malum majus avertatur. Sudor con-

tra sub labore moderate prorumpens fibrarum vires ut diminuat tantum abest, ut potius easdem augeat, quod ex fabrorum aliorumque labore induratorum exemplo satis constat: quare nemo sibi in animum inducat, sudorem, tanquam noxium quid, esse fugiendum: illi enim, qui divinum illud mandatum de pane in sudore vultus descendit negligentes *Sanctorii* præceptum *Sect. V. aph. 36.* *Qui vult diutissime juvenilem faciem conservare, caveat ne sudet, vel nimium præ calore perspiret,* sancte observant, justam hunc suæ negligentiae & pigritiæ pœnam, ut livido & pallido adspectu incedentes ab impuritatibus retentis mire vexentur & excrucientur, tandemque variis morbis succumbere cogantur.

§. XXVI.

Mensium in sexu sequiori, & Hæmorrhoidum introque debitus successus non minus ac reliquæ excretiones potu & motu promovetur. Potu enim sanguis diluitur, motu sanguis dilutus ad organa secretoria cerebrius & profundius adpellitur, unde omnium se- & excretionum successus dependet. Menses nimii vel etiam imminuti & suppressi medicam exposcunt curationem: Hæmorrhoides vero directe & rigorose non sunt movendæ, quippe quæ irregulariter procedentes potius venæ plumbeæ, quam aureæ nomen merentur, quia in paucissimis ordinate fluere, in plerisque vero moliminibus variis frustaneis non molestias tantum, sed & noxam parare solent. Sic hæmorrhagiæ etiam artificiales extra necessitatem non sunt adhibendæ, cum viæ hæ, ut ita loquar, rubræ minoris sint |æstimationis, quam via illa alba, regia, toties commendata, sudoris sc. excretio, conve-

convenienti motu corporis provocata. Qua universalis excretione etiam onus illud consuetudinis praescinditur, quod hæmorrhagiæ præsertim artificiales homini impo-nunt. Verbo, hac rite succedente excernenda reliqua non tantum optime excernuntur, sed retinenda etiam ordine suo corpori remanent, & in vitæ & sanitatis con-servationem impenduntur; quorsum præcipue feminis retentio in cœlibatu viuentium pertinet: cum contra ni-mia ejusdem excretio admodum debilitet, tandemque gonorrhœam tabemque inducat.

§. XXVII.

ANIMI PATHEMATA & sanitatis & mortis causa sœpissime existunt, prout vel moderamen, vel ve-hementiam manifestant. Animus enim tranquillus, pa-catus, compositus, qui secundum monitum Paulinum *i Cor. XVI. 14.* omnia in amore perficit, corporis etiam œconomiam in optima temperie conservando inter re-media ad vitam sanam & longævam reddendam facien-tia non ultimum sibi vindicat locum: uti contra ea ani-mi pathemata immoderata & excedentia, prouti dictum, facile morborum & mortis causæ fiunt. Sic avaritiam, merum, tristitiam, invidiam corpus successu temporis consumendo ac lenta quasi nece maestando; iram & ter-rem modo contrario subitanea potius morte homines interficere satis certum, & experientia millies compro-batum habemus, *vid. Christ. Job. Langii diff. de mortuis ex affectibus.* Quare animi passiones morbis junctæ ita eosdem exacerbant, ut sœpius omnis medici industria in-cassum laboret.

§. XXVIII.

Colligimus inde, quod in doctrina diætetica adfæctuum ratio omnino sit habenda, cum homines, si optimam de reliquo servaverint diætam a morbis tamen subjugentur, si pathematisbus animi nocivis nimis indulgent. Quorum ad correctionem plerumque non diætistica solum consilia, & morales etiam demonstrationes vix sufficiunt; sed divinum quoque auxilium accedat necesse est. Exemplum videamus in ira. Si iracundo animo occasio irascendi datur, quomodo cumque agat, sanitatem offendet. Nam si iracundiæ indulget, febres acutæ biliosæ, convulsiones, furor aliaque morbosa symptomata insequi possunt & solent, (licet non negaverim, dari homines, qui infernali huic igni ita adsuevere, ut in illo aliquandiu sine apparenti sanitatis læsione vivere videantur, ita fine tamen noxis pari modo inde provenientibus effugere minime valent.) Si vero rationis freno iram suppressare intendit, diætistica etiam consilia insubsidium vocando, e. gr. ne mox post iracundiam cibum & potum ingerat, medicamentis bilem corrigentibus succurrat &c. attamen non minus optato haud raro frustrabitur effectu, damno expertus suo, quod enseni strictum quasi in semet ipsum converterit, & periculosisimos morbos evitare nequeat. *Conf. Excell. Funckeri Hygieine p. 521. §. 4.* ex qua fusiori tractatione elegan-
tissima illa verba huc facientia quin hic transcribam, intermittere non possum, quæ leguntur p. 446. *De pal-*
mario quodam sanitatis fundamento exponere restat, nem-
pe de vera animi tranquillitate, quæ pietati ad omnia utili innititur. Quorum enim animus ea imbutus est, illi pa-

cem

cem iniverunt cum Deo, & per ejus gratiam tyrannidi quorumcumque pathematum non amplius subjecti sunt, sed in quasvis cupiditates & in ipsum quoque mundum, quem vicerunt, dominantur. Hinc hilares in Deo vivunt, mandatis officiis fideliter funguntur: nihil anxie timent, nihil avide adpetunt; in secundis æque ac adversis rebus semper sibi constant, & in hoc statu actiones vitales æquale vigore succedunt. Et hoc pridem divus Paulus inculcavit, quando i Tim. IV. 8. pietatis exercitium mulrorum bonorum promissis, tam præsentis quam futuræ vitæ stipatum esse nos docuit.

CAPVT. III.

ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΟΣΙΣ.

§. I.

CUM ex illo, quem hætenus pertractavimus rerum 6 non naturalium usu & abusu, tres præcipue vivendi modos animadverterimus 1) eorum qui nimis laxam atque solutam 2) qui nimis strictam & scrupulosam 3) qui medium quasi diætam servant: de singulis summatim jam agere constitui.

§. II.

Illorum quidem sententiam, qui sanis omnia esse sana absque ulla restrictione pronunciant, argumentis oppugnare non opus est, cum de contrario ipsi sua evinci possint experientia, & præterea toto die innumeros exemplis eorum, qui ex vitio diætetico in morbos conjecti sunt, refutantur. Quam de rusticis ab una, illis vero, qui scrupulose vivunt, ab altera parte adducunt

experientiam non pro illis, sed contra illos militare facile liquet, cum rustici magis medice vivant, quam scrupulosa utentes diæta. Illorum vero, qui in alterum extremum prolapsi multa præter necessitatem & utilitatem scrupulosius secundum physicas rationes in abstracto perquirunt, cum plures sint, qui se tales esse ignorent: e re esse putavi, summatim indicare, quos ad tales referam, & quid inde damni habeant, ostendere. SCRUPULOSE vivunt (1) ii, qui sub quacunque aëris vicissitudine axiis torquentur curis, quomodo, ut exempla proferam, se contra frigus hybernum aromatum halitu & vento calido admisso, muniunt; vel æstivum ardorem exhalatione aquæ per plantas frigidas temperent; vel aërem frigido-humidum pluviosi autumni evitent; aut nebulis se subducant; ubi loca perfecte salubria inveniant, & ventos a se insalubres arceant. (2) qui innumerar de salubritate alimentorum quæstiones instituendo ab omnibus cibis duris, crassis, pinguibus, aut acidis, vel plane abstinent, vel nescio, quibus artificiis & condimentis illos corrigere & salubres reddere student, vel etiam, si audierint, quod salia, acida & aromata vasis tenuissimis noceant, tantummodo molliori vietu sine sale & butyro: ohne Salz und Schmalz fruuntur, & tandem vero cum nec saluberrima alimenta amplius perferre possint, porro, quid edendum quidve bibendum sit, nesciunt. (3) Qui sollicite observant, ne vesperi quoddam concoctu difficile adsumant, aut latere decumbant sinistro, aut ultra sex horas dormiant, toto tamen die torpore & lassitudine divexantur. (4) qui necessarium corporis motum negligentes in otiosa vita multas quæstiones faciunt, utrum

trum quies potius sedendo, an stando, an vero per de-
cubitum conducat, de labore vero ne verbum quidem
proferentes, qui ipsis minime commodus & plebejus vi-
detur, sed servis tantum & ancillis imponendus. (5) Qui
de alvo, vel nimis laxa, vel nimis adstricta toto die con-
queruntur, sed nunquam ob sudorem quotidianum ne-
glectum, vel suppressum querelas canunt, quem potius
quovis modo fugiunt timentes, ne corporis & vultus in-
primis amittant venustatem, aut aliis prava corporis ex-
halatione (mit ihrer Mal-Propertät) molesti fiant. (6)
Qui tandem vel plane omnibus animi affectibus indul-
gent; vel contra rationis tantummodo freno, aut medi-
camentis corrigere & emendare student, cum volunta-
tum suarum ad funera usque vincita maneant mancipia.

§. III.

Horum sane conditio, quod miserrima sit, nec me-
dice tales, sed misere vivant, vix quisquam inficias ibit.
Centrum enim diætæ; quod est: *Alimenta modice cum
gratiarum actione & in sudore vultus adsumere*, negli-
gentes variis se legibus excruciant quasi mosaicis, quæ
ad sanitatem firmam obtinendam & conservandam nun-
quam sufficiunt. Quare tantum abest, ut earum ope-
fani esse possint, ut potius morbis liberius sint expositi
ii, qui quo curatius eo deterius vivunt. Servi strictæ
talis selectæ diætæ fines terrarum ubique molestant, qui
propter consuetudinis tyrannidem nil nisi adsueta ferre
possunt, hincque cum omnes semper aëris, victus, lo-
ci &c. mutationes evitare nequeant, præ reliquis ho-
minibus adficiuntur ac varie lœduntur. Ex quo itaque
conclusio patet: hosce miseros illud solum agere, & cu-
pide

pide desiderare, quod ipsis majora damna, quam comoda creat, cujusque usui & applicatione indies infirmiores & sensibiliores evadunt, ut tandem a quibusvis aëris injuriis mire afficiantur (vulgus eosdem lebendige Calender vocat) nullum cibum potumque perferre possint; a somno non satis reficiantur; a labore etiam leviori delassentur; ex impuritatibus retentis corpus infirmum & morbosum, & ab ipsa, quam in eliciendo utili & bono satagunt sollicitudine, animum anxium, meticulosum & inconstantem, uno verbo, animum ægrotum in corpore ægroto reportent.

§. IV.

MEDICE vero vivunt, qui medianam viam, ceu rectam eligentes, rerum sex non naturalium usum ita adornant, ut ab una parte nimia laxitas, ab altera vero nimis scrupulosa vivendi ratio evitetur. Ut summatim omnia repetam: selecta ac optima vitam sanam conservandi methodo fruuntur, qui 1) aëri quidem excessive intemperato & impuro corpus suum justo diutius non exponunt; illi vero aëris intemperiei, quam plurimos sine noxa perferre vident, sese non subtrahunt, sed eidem mature & paulatim adsuescunt; 2) qui omnia alimenta usitata grato in creatorem animo modice & coniuncto motu corporis proportionato sumunt, atque ea, quæ nihilo minus officere, aut noxam inferre deprehendunt, non sollicite scrutando qualitates, sed propria suffulti experientia, mittunt, probe observantes, quod plerumque magis quantitate, quam qualitate peccetur; qui 3) somnum pro gradu laboris corporis vel animi ita cum vigiliis miscent, ut in utroque nimium vitetur, & vi-

rium

rium habeatur ratio ; qui (4) motu corporis ceu **fummo** sanitatis præsidio prudenter & quotidie ita utuntur , ut motum violentum & tumultuarium vitando, moderatum, viribus proportionatum & justo tempore & modo institutum débitæ quieti interponant ; nimiam quietem ignaviam desidiamque fugientes. Qui (5) excretionum omnium successum motu præsertim & potu sufficienti promovent, ac speciatim purgamenti quotidiani h. e. eliminationis impuritatum crassiorum per alvum, mediorum per urinam & subtilissimorum adeoque maxime nocentium per transpirationem & sudorem, non obliviscuntur ; qui denique (6) pathematibus animi noxiis & nimium excedentibus non indulgent, suamque in illis demandis inopiam & imbecillitatem agnoscentes auxiliante Deo eo se transferri curant , ut æquo & tranquillo animo omnia tolerare queant.

§. V.

Et horum status sane est optimus , & vere OPTIME vivunt , quia scrupulosas & superfluas postponentes diæteticas quæstiones diætam quasi evangelicam a multis anxiæ diætæ legibus liberam , servant ; quo fit, ut multis , quæ physice considerata sanitatem lædere possent, & delicatulis etiam diætæ scrupulosæ cultoribus re vera nocent, sine omni sanitatis labefactatione utantur , quin firmiores robustiores & saniores inde evadant. Multas enim aëris injurias feliciter superant, quæ aliquos a sanitatis statu deturbare videmus ; quosvis cibos & potus optime digerunt, ex quorum usu alii mire afficiuntur ; neque insalubritatem alimentorum, aut stomachi imbecillitatem accusare opus habent. Somno gaudent optimo, quocumque etiam latere dormiant, & evigilati

ad obeunda officia sunt animo alacres & corpore agiles. Vires enim, motu perditæ, quiete ita reficiuntur ut in dies magis ad perferendos sine fastidio ac dolore labores aptiores reddantur. Motus vitales naturales & animales placide & convenienter succedunt, & animi pathemata non in corporis sui perniciem agunt, sed in salutem ejus adeo æqua existunt, ut sit mens sana in corpore sano.

EPILOGUS.

DUO potissimum contra hanc, quam descripsimus vendi rationem objici posse video. Primo, ex dissertatione apparere, nos potissimum sanitatis præsidium in labore & exercitatione corporis ponere, jam vero non deesse exempla; quod laboriosi æque ac otiosi morbis sint obnoxii; hinc operæ pretium non esse, ut propter paucam illam utilitatem, quam forte inde habere possint tantum suis negotiis, honoribus commoditati damnum inferrent. Ad quam oppositionem respondeo, experientiæ quidem nullo modo repugnare, quod etiam laboriosis morbi accidunt; hoc vero non tam ab internis, quam potius externis violentis causis dependere. Plethoram enim fœcundam multorum morborum matrem non aliunt, spissitudinem sanguinis plurium morborum causam proximam quotidie resolvunt, & cacochymiam, harum consectorium, quotidie ex corpore dextre prescribunt, ut hinc nullæ aliæ, quam violentæ causæ restent. Unde Medicus practicus laboriosis sine uroscopiæ accessu non tantum morbos eorum, sed etiam causas ipsas facile divinare poterit. Namque vel in edendo, vel bibendo excedisse, vel corpore a calore æstuoso existente potum frigidissimum ingurgitasse, vel pathematibus animi præsertim

fertim iracundiæ indulsisse, vel denique a causis externis e. gr. a contusione, lapsu, vulnere &c. læsos deprehendes. Itaque elucescit, quod, si ejusmodi causæ violentæ evitarentur, inter centum labore exercitatos vix unicus ægrotet: quando contra ex totidem otio deditis hominibus vix unus salvus constat; plethoram enim sanguinem spissum cum prava illius qualitate evitare nequeunt. Specialiora adferre quidem possem, nisi longius foret attingere, v. g. quod, si in educatione liberorum superiorius commendata medice vivendi ratio adplicaretur, tot optimæ spei juvenes reipublicæ & parentibus suis non præmatura morte eriperentur, tum enim aliquot laboribus animi detraherent horas & labori corporis easdem impendentes se firmos sanosque redderent, & conservarent; conferatur *Franciscus Baco de Verulamio in historia vitae & mortis*, ubi hoc multis exemplis variarum nationum, ordinum & conditionum hominum demonstravit, quod non viventes delicate & molliter, sed qui *Celsi* regulam *l. i. c. i.* observarunt, optime & diutissime vixerint. Iam præterea objici posset, ejusmodi vivendi genus plurimis impossibile esse propter consuetudinem & nimiam sensibilitatem, minimeque ferendum. Sed ex opponentibus talia primo loco quæro 1) anne melius sit, consuetudinem & sensibilitatem in re tanti momenti mutare, quam ab ipsa inopinato sæpius ita mutari, ut ex sanis ægroti homines fiant? 2) anne melius sit, omnia perferre discere, quam in tanta mollitie permanere, ut nihil perferre possimus, adeoque & nobismet ipsis & aliis molesti fiamus? Primum cum adfirmabunt melius quidem ast impossibile esse, ego jam contrarium, si non modo de omnibus, de plerisque tamen adfirmare non vereor, dummodo hanc unicam regulam ad omnes res non

naturales adplicandam bene observant: *Omnibus paullatim, vitando nimium adsuendum est.* Namque veritate nititur, quod omnis subita mutatio sit periculosa; hinc etiam consuetudo (ceu altera, uti dicunt natura) licet prava existat, non simul & semel, sed paullatim in meliorem qualitatem permutanda. Omnis ergo ratione dignus fugit dominium & vincula consuetudinis, omni tempore, ne ulli rei firmiter adsuescat, studens. Sic cum orne nimium in vitium verti sciamus, modus etiam in rebus sex non naturalibus tenendus est, quo sit, ut qui idiosyncrasiam seu sensibilitatem & consuetudinem hoc modo corrigere nequeat, vix ullus existat. Si demum quædam in mundo dentur subjecta, quibus propter individualem teneritudinem & singularem sensibilitatem viam hanc regiam ingredi prohibetur, quod præcipue ad senes in quibus consuetudo ipsa jam consenuit, referendum, illis observare incumbit, quæ respectu rerum non naturalium ipsis prosint, vel noceant, ut illis uti, hæc vero evitare possint, adeoque medici sui ipsius evadant, medico multis quæstionibus non amplius molesti. Quanquam ideo exactam hisce Medici præscribere diætam nequeant, idem tamen de ægrotis aut ex gravioribus morbis convalescentibus minime valet, utpote qui omnino præscripto medici secundum morbi indolem indigent, ut statim in fronte dissertationis indicatum. Iam itaque sufficiat tradidisse optimam sanorum diætam, qua *mobile, modice & tranquille degimus vitam.* Qui enim vitam agit laboriosam, aut saltem aliquot diei horas motui corporis impedit, alimenta modice adsumit, & pietatem in Deum & proximum, tanquam unicum veræ tranquillitatis fundamentum, colit; ille eandem ingreditur viam, qua Christus & Apostoli nobis præiverunt, & sanitatis tam corporis, quam animæ compos etit. Habet ergo, benevole Lector, thematis, quod medico more optime vivamus contra vulgarem plurimorum opinionem, medice vivere vitam esse miserrimam, brevem & pro viribus peractam elaborationem. De quo labore ut benigne ac juste perlegenda quavis pagella judices, istiusque effati Salvatoris sis memor: DVM HAEC PROBE SCITIS, SALVI ESTIS, SI FECERITIS, omni qua par est humanitate rogo.



